Catullus 39

Egnatius, quod candidos habet dentes,
renidet usquequaque. Si ad rei ventum est
subsellium, cum orator excitat fletum,
renidet ille. Si ad pii rogum fili
lugetur, orba cum flet unicum mater,
renidet ille. Quidquid est, ubicumque est,
quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum,
neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
quare monendum est te mihi, bone Egnati.
Si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs
aut parcus Umber aut obesus Etruscus
aut Lanuvinus ater atque dentatus
aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
aut quilubet qui puriter lavit dentes,
tamen renidere usquequaque te nollem,
nam risu inepto res ineptior nulla est.
nunc Celtiber es: Celtiberia in terra,
quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
dentem atque russam defricare gingivam;
ut quo iste vester expolitior dens est,
hoc te amplius bibisse praedicet loti.

---

2 **renideo, renidere:** grin, beam, smile
usquequaque (adv.): all the time, everywhere
3 **subsellium, - (n):** bench (of a court of law)
4 **rogus, -i (m):** funeral pyre
10 **Sabinus, -i (m):** Sabine
Tiburs, Tiburtis (m): Tiburtine; relating to the city of Tibur
11 **Umber, -ra, -rum:** Umbrian
12 **Lanuvinus, -a, -um:** Lanuvian
13 **Transpadanus, -a, -um:** Transpadane; one living across the Po River
17 **Celtiber:** a resident of Celtiberia
Celtiberia, -ae (f): Celtiberia (a province in central Spain)
18 **mingo, mingere, minxi, mictus:** urinate
21 **lotus, -i (m):** urine